

QUAESTIO IX<sup>a</sup>

An et qualis Ecclesiae conveniat potestas in rebus  
temporalibus societatum civilium?

(Vide Suarez : *de Legibus*, lib. 1, c. 9, n. 2. — Bellarminum : *de Rom. Pont.*, lib. v. — Bouix : *de Papa*, t. 3, p. 2. — Perriot : *de Eccl.*, p. 475... 497. — Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 565... 589. — Moulart : *l'Eglise et l'Etat.*)

318. Resp. Videri potest admittendam esse doctrinam, in primo e quatuor articulis declarationis cleri Gallicani, anno 1682 editae, contentam, nimirum : « Reges et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subijci; neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse. »

Etenim, 1<sup>o</sup> Christus Judaeis sciscitantibus de persolvendo tributo Caesari, ostenso ipsi numismate imaginem Caesaris referente, sic respondit : *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo* (Matth., xxii, 21). Ergo ipsam Romanorum Caesarum potestatem, licet tyrannicam, noluit Christus, sub specie religionis, everti; sed declaravit sub ejus jugo remanendum. Ergo non dedit Ecclesiae potestatem unquam solvendi subditos a fide principibus civilibus debita.

2<sup>o</sup> Praeterea, Christus adversus persecutores aliud remedium humanum non proponit, praeter fugam : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (Matth., x, 23). Ergo Ecclesiae non licet ad-

versus persecutores animadvertere, eos ab officio deponendo, aut alia via coercendo.

3<sup>o</sup> Praeterea, Christus de suo regno sic loquitur : *Regnum meum non est de hoc mundo* (Joan., xviii, 36) Quae verba prolata sunt, ut a mente Pilati prorsus arceretur timor, ne Christus aliquid contra Caesaris imperium moliretur. Unde clare innuit Christus suum regnum, ac proinde suam Ecclesiam, nihil posse ad civilem potestatem labefactandam.

4<sup>o</sup> Praeterea, cuidam homini a Christo poscenti ut fratri suo juberet secum haereditatem dividere, respondet : *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* (Luc., xii, 13, 14.) Jam vero, Christus rectoribus Ecclesiae aliud non mandavit ministerium ac illud quod ipse, dum esset in mundo, exercuit. Ergo, cum praefatis verbis neget ad suum ministerium pertinere iudicium de rebus temporalibus, prohibet ne Ecclesiae rectores talia iudicia proferant.

5<sup>o</sup> Praeterea, dicit Apostolus : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (Rom., xiii, 1). Ergo principibus, etiam persecutoribus, obediendum est in omnibus, iis solum exceptis quae legi divinae adversantur.

6<sup>o</sup> Praeterea, antiquorum Patrum traditio hanc Ecclesiae in rebus civilibus auctoritatem videtur positive excludere. Tertullianus asserit imperatores esse « primos post Deum » (Ad Scapulam, c. 11. — Apolog. adv. gentes, cxxx). Alii dicunt non esse super terram potestatem quae principes, si delinquant, castigando a peccatis deterreat. Ita S. Amb. (Prima Apol. David. c. x), Cassiodorus (Exposit. in Ps. l), S. Greg. Turon. (Hist. Francor. l. v. c. xix), S. Isidorus Hispal. (lib. 3.

scut. c. 1. n. 4). Alii memorant duas esse quibus principaliter mundus regitur potestates, sacerdotalem et regalem; et huic ultimae, etiam religionis antistites, quantum ad ordinem spectat publicae disciplinae, odedientiam praestare.

7° Praeterea, primis saeculis Ecclesia nullum jus in rem temporalem Statuum sibi vindicavit, nullum regem imperatoremve deposuit, etsi, Tertulliano teste, sufficientibus ad id viribus non caruerit. Atqui contrarium contigisset, si praetensa illa potestate in temporalibus frueretur.

8° Praeterea, utraque potestas, civilis et ecclesiastica, penitus ab invicem distinctae sunt. At, dato quod ecclesiastica, quoties proprii finis prosecutio id exigit, possit alteram sibi subordinare, jam tollitur illa distinctio; siquidem omnes civilis potestatis actus aliquo modo attingunt interesse animarum, seu, proprium Ecclesiae finem.

9° Praeterea, tale jus in Ecclesia foret inefficax; cum illa careat mediis coercionis, quibus civilis societatis rectores adigere possit ut ipsi pareant; ergo jus illud inutiliter collatum fuisset.

10° Praeterea, idem jus ipsimet Ecclesiae evaderet perniciosum; quia hanc principibus faceret suspectam et saepius odiosam, innumerosque ac luctuosos quandoque conflictus, imo cruentas persecutiones generaret.

11° Praeterea, quae videntur hanc Ecclesiae potestatem in res temporales societatis civilis adstruere, sufficienter solo jure humano, seu, libera hominum concessionem explicantur. Ita plures auctores catholici, inter quos Gosselin, in opere : *Pouvoir du Pape*

*au moyen âge*. Ergo inutiliter invocatur jus divinum.

319. Sed contra dico 1° : *Ecclesia habet, jure divino, potestatem in res temporales societatum civilium, toties exercibilem, quoties exigit finis spiritualis ab ea attingendus.*

Notanda sunt verba : *toties exercibilem quoties exigit finis spiritualis*. Nam omnes Catholici concedunt, Ecclesiam non posse se intromittere absolute et ordinarie in temporalibus negotiis, sed tantum ubi id judicat necessarium, ut bono fidelium spirituali sufficienter provideatur; quia tunc potestatis civilis independentia fini Ecclesiae notabile afferret detrimentum. At immensa est series actuum quibus princeps civium securitati et prosperitati publicae consulit, et qui fini Ecclesiae serio non obstant; in his igitur decernendis, plena fruitur erga auctoritatem ecclesiasticam libertate.

Quibus praejectis, quintuplici argumento demonstratur thesis, nempe : Scriptura, doctrina scholasticorum, constanti saeculorum praxi, Bonifacii VIII, Pii IX, et Leonis XIII auctoritate, ratione demum theologica.

#### ARGUMENTUM I. Ex Scriptura.

320. 1° Potestas rectoria Ecclesiae collata exprimitur sic : *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* (Matth., XVIII, 18). Accepit itaque Ecclesia potestatem quodcumque vinculum imponendi ac solvendi, quoties illa impositio aut solutio necessaria videbitur ad proprium societatis

spiritualis finem ; et haec potestas, utpote universalis, extenditur ad omnia Ecclesiae membra, etiam ad reges et principes. Jam vero, nonnunquam, ne graviter periclitetur animarum salus, moraliter necessarium esse potest, ut princeps obligetur ad talem potestatis suae temporalis usum, vel ut dissolvatur vinculum quo fideles erga principem obligantur.

2° Insuper, Christus Petro ejusque successoribus in perpetuum commisit curam pascendi agnos et oves. Reges autem Christiani inter oves Christi procul dubio numerantur. Illos ergo pascit seu regit ecclesiastica potestas, quoad omnes actus quibus vita aeterna amitti vel comparari potest. Sed unus ex his actibus, in christiano principe, est debitus usus potestatis gubernativae ; nam si illa non juste utatur, condemnabitur, et nonnunquam propter hunc abusum, multi ex suis subditis grave incurrunt periculum damnationis. Ergo necesse est ut Ecclesiae potestas ad temporalia quandoque extendatur, dirigendo, ubi opus erit, potestatem civilem, ne temporalia eo modo disponat qui spiritualibus obstet. « Et hac ratione, ait Suarez, Pontifices reddi-  
« turi sunt rationem pro regibus et imperatoribus,  
« quia ad illos pertinet corrigere et emendare quidquid  
« ipsi, non solum ut homines, sed etiam ut reges, in  
« usu suae potestatis peccaverint » (*de Leg.*, l. 4. c. 9. n. 3).

ARGUMENTUM II. **Ex doctrina scholasticorum.**

321. Qui hac de re scholasticorum testimonia perlegere voluerit, adeat D. Bouix (*Tract. de Papa*, pars IV, sect. 1). Nos, brevitati consulentes, tria solummodo notabimus.

**I. Notandum : Scholasticorum in praesenti puncto unanimitas.**

Nullus enim reperitur catholicus doctor inter scholasticos, a tempore scholae, seu Magistri sententiarum usque ad Bossuetii tempora, sive extra sive intra Galliam, qui praefatam Ecclesiae potestatem non admiserit. Hinc, quando in cleri Gallicani comitiis generalibus anni 1615, instantibus Protestantibus, tertius ordo (*le Tiers-Ordre*) tentaverit contrariam doctrinam voluti legem regni fundamentalem proclamare, obstiterunt duo alii ordines, cleri et nobilium ; et cardinalis Du Perron, totius cleri et nobilium nomine, in tertii ordinis camera verba faciens, plane ostendit hujusmodi articulum universae Ecclesiae consensu rejici :  
« Toutes les autres parties de l'Eglise, inquit, voire  
« même toute l'Eglise Gallicane, depuis que les écoles  
« de théologie y ont été instituées, jusqu'à la venue  
« de Calvin, tiennent... que quand un prince vient à  
« violer le serment... de vivre et de mourir en la re-  
« ligion catholique, et non seulement se rend Arien  
« ou Mahométan, mais passe... jusqu'à forcer ses  
« sujets en leurs consciences... ce prince-là peut  
« être déclaré déchu de ses droits... et ses sujets ab-  
« sous du serment de fidélité qu'ils lui ont prêté... Et  
« non seulement toutes les autres parties de l'Eglise  
« catholique, mais même tous les docteurs qui ont été  
« en France, depuis que les écoles de théologie y ont  
« été instituées, ont tenu l'affirmative... Tous les  
« autres peuples catholiques tenant cette doctrine,  
« nous ne pouvons la tenir pour contraire à la  
« parole de Dieu, et pour impie et détestable, que  
« nous ne renoncions à la communion du Chef et des

« autres parties de l'Eglise, et ne confessions que  
« l'Eglise a été, depuis tant de siècles, non l'Eglise de  
« Dieu, mais la synagogue de Satan. »

II. Notandum : *Certitudinis gradus quem scho-  
lastici nostrae sententiae tribuunt.*

Hanc nostram sententiam, non ut opinionem libe-  
ram, sed ut certam et omnino tenendam propugnant.

Nusquam enim hanc aut haesitantes, aut tanquam  
Catholicorum disputationi permissam proponunt, sed  
quasi dogmatice asserendo; et imo illius impugnatores  
memorando, alios non assignant quam haereticos. Sic  
Durandus a S. Porciano, ad calcem opusculi : *De ori-  
gine jurisdictionum* : « Qui hoc privilegium irritat  
« aut detrahit, in haeresim labitur, et haereticus est  
« dicendus. » Idem propriis terminis asserit Petrus  
Bertrandus, Cardinalis, qui fuerat in Universitate Pa-  
risiensi professor juris canonici. — Dominicus Soto (in  
4 sent. Dist. xxii. q. 2. a. 2) declarat hanc nostram con-  
clusionem esse catholicam « contra eorum haeresim,  
« qui omnem abdicant Pontifici temporalem potesta-  
« tem », — Suarez (Defens. fid. cont. Angl. l. 3. c. 23)  
hanc thesim : « Pontificem summum potestate coer-  
« citiva in reges uti posse usque ad depositionem a  
« regno, si causa subsistat », vocat *veritatem catho-  
licam*. — Gregorius de Valentia (Disp. I, q. xii. punct. 2)  
ait : « Neque est de hac assertionem dubium ullum apud  
« vere orthodoxos; eam tamen negant haeretici. »  
— Caesar Carena (De potest. Summi Pont. in temp.,  
§ v) de opinione contraria dicit : « Est impia et haere-  
« tica. » — Demum anno 1683, prodiit edictum Inqui-  
sitionis Hispanicae, in quo de propositione juxta quam  
« Pontifex aut Ecclesia nullam habent potestatem

« directe vel indirecte in regum temporalia » pro-  
nuntiatur : « Quae propositio est erronea et schisma-  
« tica. »

III. Notandum : *Fundamentum quo nititur prae-  
dicta potestas, juxta scholasticos.*

Ad hanc potestatem vindicandam, scholastici non  
invocant jus aliquod humanum, sed divinum.

Dicunt enim, hanc esse unum e gladiis duobus ad  
Petrum ex Christi voluntate pertinentibus, uti S. Ber-  
nardus (De Consid. lib. iv. c. 3); — Christum Petro  
commisisse jura coelestis imperii et terreni, uti Du-  
randus a S. Porciano et Petrus Bertrandus (locis cit.);  
talem praerogativam esse spirituali naturaliter an-  
nexam, quae temporali praeesse debet, ut anima cor-  
pori, uti Ivo Carnotensis ad Henricum Angliae regem  
(Ep. 106), et S. Thomas (2. 2. q. 60. a. 6. ad 3) qui sic  
se habet : « Dicendum quod potestas saecularis sub-  
« ditur spirituali, sicut corpus animae », etc., etc.

Quibus praenotatis, sic conficitur argumentum :

Ex regula a Melchioro Cano tradita, in suo opere :  
*de Locis theologicis*, l. viii, c. iv, et quam pro indu-  
bitata habuerunt subsequuti scriptores catholici : « Con-  
« cordi omnium theologorum scholae de fide aut  
« moribus sententiae contradicere, si haeresis non  
« est, at haeresi proximum est. » Et merito quidem :  
Nam contra Ecclesiam praevalerent inferi portae, si  
contingeret tanquam certum dogma propugnari ab  
omnibus totius orbis catholici theologis, quod in ma-  
teria fidei vel morum esset erroneum; in docendo  
quippe populo christiano, et parochi et episcopi se-  
quuntur quod circa fidem et mores tanquam certo  
tenendum unanimiter tradunt doctores catholici. At-

qui, per plura saecula, doctores catholici unanimiter tenuerunt doctrinam de potestate Ecclesiae, de qua nunc agimus; hanc tenuerunt ut certam et necessario admittendam contra haereticos; hanc non ex jure humano, sed divino prorsus probaverunt, ac proinde habuerunt tanquam veritatem pertinentem ad fidem et mores. Ergo illis contradicere, si haeresis non est, haeresi proximum videtur, ut ait Cano.

ARGUMENTUM III. Ex saeculorum praxi.

322. Longius foret singillatim referre facta, quibus Ecclesia et Romani Pontifices circa res societatum civilium temporales jus imperii sibi vindicarunt. Praecipua summatim praelibasse sufficiat.

1<sup>o</sup> A saeculo IV, quo principes facti sunt Christiani, ad saeculum XI usque, viguit poenitentia publica, quae, vel pro certis criminibus publicis obligatorie imponebatur, vel voluntarie aliquando petebatur. Sed, ut invicte probat Joannes Morinus, in suo opere *De Sacr. Poenit.*, publicae poenitentiae effectus erat ab omni officio saeculari perpetua cessatio. « Haec, ut ait « Morinus (ibid., lib. v. c. xviii), nisi testatissimis auctoribus demonstrarentur, incredibilia plane et merito viderentur. Sed testimoniis adeo evidentibus, frequentibus et augustis fulciuntur, ut nulla vel tenuissima dubitationis umbra superesse possit. » Hinc est quod Vamba, rex potentissimus, universaeque Hispaniae et Galliae Narbonensis dominus, cum ex mera devotione se adjunxisset poenitentium publicorum numero, debuit regnum abdicare, et Ervigium principem sibi eligere successorem.

2<sup>o</sup> Plura concilia nonnullas statuerunt poenas a

principibus praevaricatoribus incurendas, quas decernere non est nisi potestatem temporalem habentis. Sic conc. Later. III decrevit can. xxvii, Christianos qui erant sub ditione haereticorum, liberos fore ab omni debito fidelitatis. — Conc. Later. IV, in cap. iii quod inscribitur *De Haereticis*, statuit principem, qui haeresim e suis terris evellere negligit, primo excommunicandum esse, et postea, nisi respiscat, denuntiandum Romano Pontifici, qui vassalos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et huic legi subjiciendos esse principes etiam in sua ditione supremos. — Conc. Lugd. II tulit poenam depositionis ipso facto incurendam a principibus, quorum jussionibus homicidia patrentur. — In conc. Constantiensi, Martinus V, Patribus approbantibus, publicavit Bullam, qua mandat episcopis et inquisitoribus, ut contra eos qui aliter sentire praesumpserint quam docet Ecclesia, *etiamsi regali aut alia quavis mundana praefulgeant auctoritate*, procedant per poenas privationis dignitatum et bonorum saecularium, necnon per captiones et incarcerationes. — Conc. Trid. Sess. XXV, de Reform. c. xxv, contra duellum in suis terris permittentes ordinavit, ut eorum terra, si sit feudalis, directo domino redeat; et contra duellantes eorumque paternos, seu, testes, ut incurrant poenam privationis bonorum suorum, et nulla fit exceptio in favorem principum.

3<sup>o</sup> Omnes norunt sententias depositionis pene innumeras a Romanis Pontificibus, contra malos reges aut imperatores fulminatas. Sic in saeculo XI, Gregorius VII Philippo I Galliarum regi depositionem pluries comminatus est; Boleslaum Poloniae regem semel, et

Henricum IV Germaniae regem bis deposuit. — In saeculo XII, Alexander III eandem sententiam protulit contra Fredericum I. — In saeculo XIII, Innocentius III deposuit Othonem IV; item Philippum Frederici I filium; item Joannem Angliae regem. Item Gregorius IX et Innocentius IV Fredericum II. — In saeculo XIV, Clemens VI deposuit imperatorem Ludovicum II. — In saeculo XV, Paulus II deposuit Georgium Bohemiae regem. — In saeculo XVI, Clemens VII deposuit Henricum VIII Angliae regem; quod praestitit etiam Paulus III; item S. Pius V eandem sententiam tulit contra Elisabeth Angliae reginam, etc.

Ex hujusmodi factis sic conficitur argumentum: Ecclesia et Romani Pontifices non in solos Ecclesiae Romanae feudatarios sibi potestatem temporalem vindicant, sed super omnes principes christianos, quicumque sint, neque, sic animadvertendo, invocant jus aliquod gentium unanimi principum et populorum consensu introductum; quinimo, multoties expresse declarant sibi in B. Petro talem a Christo potestatem fuisse collatam, prout videre est, v. g. in duabus formulis depositionis a Gregorio VII contra Henricum pronuntiatis, item a Gregorio IX et Innoc. IV contra Fredericum II. De caetero, alia non potuit esse Ecclesiae et Pontificum persuasio, ac ea quae apud omnes scholasticos tunc temporis vigeat; hi autem non jure humano, sed divino constanter nituntur. Ergo constans fuit universalis Ecclesiae ac Romanorum Pontificum sententia: datam esse divinitus Ecclesiae auctoritati potestatem super temporalia societatis civilis toties exercibilem, quoties videretur necessarium fini spirituali assequendo. Cum autem agatur ibi de re ad

fidem et mores pertinente, si praefata potestas jure divino non existat, dicendum erit Ecclesiam Christi graviter per plura saecula erravisse circa fidem et mores; at id ipsius indefectibilitati prorsus repugnat.

ARGUMENTUM IV. Ex auctoritate Bonifacii VIII, Pii IX et Leonis XIII.

323. I. *Auctoritas Bonifacii VIII.*

Bonifacius VIII, anno 1302, celebrem edidit Constitutionem *Unam Sanctam*, circa quam paucis inquirendum venit 1° quid doceat? 2° an sit authentica? 3° an habeat vim dogmaticae definitionis? 4° quid praecise definiat?

1° *Quid doceat?* Docet haec Bulla: a) Metaphoram duplicis gladii, ex Evangelio desumptam, indicare jus Ecclesiae competens super usum potestatis temporalis a principe civili: « Oportet gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati. » b) Terrenae potestatis institutionem ac judicium ad Ecclesiam spectare: « Spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, et judicare, si bona non fuerit... Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali. » c) Hanc Ecclesiae auctoritatem non humanam sed divinam esse: « Est autem haec auctoritas, etsi data sit homini et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina, ore divino Petro data,... dicente Domino ipsi Petro: *quodcumque ligaveris...* »

2° *An sit authentica?* Est certo, quamvis aliqui dubitaverint. Qualis enim nunc est, jam erat in corpore juris canonici inserta tempore Conc. Later. V. Illud vero concilium declaravit se approbare ac inno-

vare Constit. *Unam Sanctam* Bonifacii VIII; sane hanc ipsam, quae tunc erat in corpore juris, non aliam.

3° *An habeat vim dogmaticam?* Affirmandum est; quia in ea Papa loquitur, ut pastor universalis, ad fideles omnes, et de re ad doctrinam et mores pertinente; et insuper expresse dicit: *Declaramus, definimus, pronuntiamus*. Demum, in conc. Later. V a Leone X fuit renovata et confirmata. Nec verum est hanc fuisse a Clemente V emendatam, eo ipso quod declaravit Galliae regnicolas non amplius esse Ecclesiae subjectos quam antea. Etenim, subjectio quam Bonifacius VIII statuit, cum sit juris divini, existebat certe antea; ergo Clemens V solum intendebat hanc Bullam a falsis nonnullorum interpretationibus vindicare.

4° *Quid praecise definit?* Sic concludit Pontifex: « Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae, declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. » Sensus sane talis definitionis ex contextu et fine Bullae est determinandus. Atqui ut, et contextui et fini Bullae definitio congruat, necesse est eam intelligere hoc sensu: omnis humana creatura subest Romano Pontifici, seu: etiam rex, quatenus rex, Romano Pontifici in usu suae temporalis potestatis subicitur. Hinc, non videtur satis tuta opinio eorum qui asserunt nihil hac Bulla esse definitum, nisi necessitatem cuique Christiano incumbentem parendi Pontifici Romano in spiritualibus; et rectius sentiunt qui cum Suarez (De Leg. lib. IV, c. IX), Bellarmino (De Potest. Sum. Pontif. c. III) et aliis contendunt, potestatem Ecclesiae supra res

temporales societatum civilium, vel esse de fide, vel saltem ad catholicae doctrinae depositum certo pertinere.

## II. *Auctoritas Pii IX.*

Pius IX, in Syllabo, hanc perstrinxit propositionem quae est XXIV: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. »

Haec potestas temporalis directa vel indirecta non est jus Ecclesiae ad bona temporalia propria, nec facultas quam habet praecipendi actus externos, vel imponendi poenitentias corporales, quia utraque est necessario et indubitanter directa; ergo est auctoritas qua Ecclesia de principum civilium potestate temporali disponit, secundum quod finis spiritualis requirit; quae auctoritas, juxta quosdam, est directa, juxta alios, indirecta, ut infra dicemus.

## III. *Auctoritas Leonis XIII.*

Leo XIII, in sua Encycl. *Immortale Dei*, de Civitatum constitutione christiana, postquam religionis socialis necessitatem affirmaverit, explicat qua ratione princeps civilis regimen suum temporale dirigere debeat: « Civilem igitur societatem, ait, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate Reipublicae, necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo ad piscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates afferat. Quarum praecipua est ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cujus officia hominem Deo jungunt. » Sed ad Ecclesiam spectat judicare quatenam a principibus, in

sua gubernandi ratione, facienda, quatenus omittenda sunt, ut cives christiani non careant adjumentis sibi necessariis ad coelestis beatitudinis assecutionem. Ergo, quoties urget necessitas finis spiritualis, Ecclesia jus habet in rebus temporalibus societatis civilis.

Caeterum, in eadem Encycl. tradit Pontifex modum quo inter se ordinari et colligari oporteat ambas potestates: « Itaque, inquit, inter utramque potestatem « quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio, » quae quidem conjunctioni non immerito comparatur « per quam anima et corpus in homine copulantur. « Qualis autem et quanta ea sit, aliter judicari non « potest, nisi respiciendo ad utriusque naturam, « habendaque ratione excellentiae et nobilitatis causarum; cum alteri proxime maximeque propositum « sit rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare. » In quibus verbis invocatur memorata toties a scholasticis analogia quae reperitur inter unionem corporis et animae, et conjunctionem societatis civilis cum ecclesiastica. Ex hac similitudine desumitur regula vi cuius, in assignandis cuiusque muneribus, attenditur ad singularum finem proprium. Ergo quidquid ad finem Ecclesiae necessarium est, etiam in temporalibus, id erit de foro ejus, ut explicat idem Pontifex pergens: « Quidquid igitur « est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid « quid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, « sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne « in potestate arbitrioque Ecclesiae. » Ergo id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae quod, in

potestatis civilis usu, bono animarum necessarium existimat, et hoc est praecise quod intendimus.

#### ARGUMENTUM V. Ex ratione theologica.

324. 1<sup>o</sup> Ecclesia, cum sit societas spiritualis perfecta, habet, ex proprio et nativo jure, facultatem omnia assumendi media fini spirituali prosequendo necessaria. Atqui ad hunc finem nonnunquam moraliter necessarium est, ut princeps civilis a tali usu potestatis temporalis absteineat, aut talem e contra eliciat temporalis administrationis actum; imo ut talis princeps christianus a regno amoveatur. Ergo Ecclesia poterit haec omnia auctoritative obtinere, in quantum circumstantiae id permiserint.

Quod argumentum sic premit D. Thomas (*De regimine princip.*, lib. I, c. XIV): « Ad hoc homines « congregantur, ut bene simul vivant; bona autem « vita est secundum virtutem; virtuosa igitur vita est « congregationis humanae finis... Quia homo, vivendo « secundum virtutem, ad ulteriorem finem ordinatur, « qui consistit in fruitione divina, oportet eundem « finem esse multitudinis humanae. Non est ergo « ultimus finis multitudinis congregatae vivere secundum virtutem, sed per virtuosam viam pervenire « ad fruitionem divinam... Hujus regni (Ecclesiae) « ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis regibus, sed sacerdotibus est « commissum, et praecipue summo sacerdoti, successori Petri, Christi vicario, Romano Pontifici, cui « omnes reges populi christiani oportet esse subditos, « sicut ipsi Domino Jesu Christo. Sic enim ei, ad « quem finis ultimi cura pertinet, subditi debent illi

« ad quos pertinet cura antecedentium finium, et ejus imperio dirigi. »

2<sup>o</sup> Ecclesia est societas una, in se complectens rectores tum spirituales tum temporales. Porro, ubi qui exercent potestates diversas et inaequales sunt ejusdem societatis membra, rectus ordo postulat ut qui in ea societate principatum spiritualem gerit, ac omnium membrorum spirituali bono invigilat, possit ad illud commune bonum, quod est superioris ordinis ac supremum, procurandum, de aliis inferioribus rectoribus disponere. Ergo suprema potestas spiritualis in Ecclesia, jus habet de potestate temporali disponendi, prout requirit necessitas boni communis spiritualis.

Sic rem elucidat Suarez (*De leg.*, lib. 4, c. 8, n<sup>o</sup> 3):  
« Sicut homo non esset recte compositus, nisi corpus  
« esset animae subordinatum, ita neque Ecclesia esset  
« convenienter instituta, nisi temporalis potestas  
« spirituali subderetur.... Ubi est unum corpus, ne-  
« cesse est esse unum caput, ad quod omnia aliquo  
« modo revocentur, quoniam alias neque pax, neque  
« perfecta unitas potest esse in corpore; Ecclesia  
« autem Christi unum corpus est, ut diximus. Ergo,  
« quamvis in eo sint plures potestates, seu magistratus,  
« necesse est ut inter se habeant subordinationem,  
« ita ut ad unum aliquo modo revocentur, propter  
« rationem factam. Ergo, vel spiritualis potestas subor-  
« dinatur temporali, vel e contrario. Primum dici  
« non potest; nam, ut ex Paulo affert Pontifex (Boni-  
« facius VIII), *quae a Deo sunt ordinata sunt*;  
« esset autem perversus ordo, si spiritualia subjecta  
« essent temporalibus; ergo secundum necessario  
« dicendum est. »

325. Dico 2<sup>o</sup>: *Quamvis praedicta potestas olim a catholicis quibusdam doctoribus vocata fuerit directa, anteponendus videtur modus loquendi eorum qui hanc vocant indirectam.*

1<sup>a</sup> *sententia*, quae stat pro potestate *directa*, sic exponi et propugnari solet:

1<sup>o</sup> Sicut Christus est Rex universorum spiritualis et terrenus, sic suo Vicario ejusque successoribus utramque super universos fideles, spiritualem et temporalem, et quidem supremam, contulit potestatem. Unde, nullus apud Christianos populos legitimus esse potest principatus, qui non sit ab eo, tanquam Christi vicario, expresse vel tacite institutus et confirmatus. Ex quo ulterius colligitur, nullam rempublicam, nullum regem aut imperatorem habere in temporalibus potestatem supremam; quia non possunt esse duo suprema capita in eodem ordine. Sequitur etiam Papam valide, quamvis id faceret sine causa, potestatem temporalem instituere, amovere, regere et coercere.

2<sup>o</sup> Attamen, in hoc temporali Pontificis principatu duo discernenda sunt: potestas et exercitium. Potestas quidem penes Papam residet; at, ex Christi institutione, exercitium, seu immediata executio et administratio, temporalibus principibus est relinquenda, nec Papa licite potest per seipsum regna temporalia administrare, nec se in hac administratione intromittere, nisi id exigat Ecclesiae spiritualis necessitas. Nam, hanc temporalem dominationem habitualiter exercens, aut in illa se intromittens extra casum necessitatis, sese negotiis saecularibus implicaret, quod reprobatur Apostolus dicens: *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II Tim. II, 4). Prin-